

DN. AVCTORI

S. P. D.

M. BENIAMINVS BILERUS

ECCLESIAE SVIDN, PASTOR ET EPHORIAE
IESSEN, ADIVNCTVS,

Ex quo mihi, Amice, primum innotescere, ædesque olim Betavien-
ses mecum inhabitare cæpisti, in bonis literis, artibus, moribus-
que meos instituens, omnia ad voluntatem DEI, emolumentumque pro-
ximi, domusque speciatim meæ facere studuisti. Hinc mutua chari-
tas, mutuusque gressus nova indies incrementa cepit atque delectamen-
ta, idque eo magis, cum provida DEI cura nunquam satis laudanda,
adorandaque, nos in hanc urbem Electoralem simul duxisset, & ecclesie
Christi docendæ præfecisset. Qua propter etiam nunc in animum in-
duxi, publice TIBI de primo in Theologia gradu, quem Candidatu-
ram vocant, capeffendo, gratulari, insimul rogans, permittas, Vir per-
quam reverende, ut in præsentia quæstionem aliquam, quæ argumen-
to, quod tractas, haud inconveniens videatur, moveam. Venit mihi
hic in mentem recordari controversiæ illius non nudius tertius, sed per
ducentos jam annos, evangelicos inter confessores, atque C. Reformatos
agitatæ, de omnium ac singulorum omnino hominum voca-
tione DEI seria & ordinata ad salutem æternam. Hanc veri-
tatem æque biblicam & divinam esse, ac illam, qua Christus totius
mundi Redemptor asseritur atque creditur, defendimus, dissentientes
autem Reformati contrarium ad hanc usque diem propugnare non veren-
tur. Provoco non modo ad RÜSSENIUM, cujus summa Theologiæ 1731.
denuo prodiit; sed inprimis etiam ad istos novos Theologiæ Calvinia-

ne